Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2005

Quelle:
Copyright:



fuiſſe; ille vero vult *S. Mariae in Aquirio*, hic *S. Angeli*. Neuter tamen verbulum facit de ejus Magiſterio Scholae theologicae, quo eum ante Purpuram functum ex adlatis *Praefaminibus* liquet. An *Bononiae?* Dicerem fortaſſe, ſi ad manum eſſet *Sartii* et *Fattorini* Commentarius *de claris Archigymnaſii Bononienſ. Profeſſoribus* a Sec. XI. ad XIV. Annum mortis Noſtro ſtatuunt 1213—16.

## DCCCXIX.

R. 865 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 104. f. per duas columnas minutius et multis compendiis exaratus, coloribus diſtinctus et fronte literas M B ſub cruce deauratas praeferens Congeries eſt plurimorum Vocabulorum nulla ſervata Alphabeti lege in uſum Homiletarum ita aptata, ut de quovis promtam habeant cum diviſionis, tum amplificationis materiem. Initium ducitur a voce *Paulus*; ſic: *Queritur quando hoc nomen pauli apoſtolo fuerit primo impoſitum. cum ante vocaretur ſaulus. Reſp. opinio Origenis ſuper epiſtolam ad ro. quod apoſtolus ſemper fuit binominis* &c. Sequuntur Vocabula: *Seruus. Seruire. Peccatum. Mendacij. Fides. Pietas. Electus. Spes. Sperare. Verbum Dei. Predicatio. Predicator. Saluator. Dilectio* &c. uſque ad numerum 321. Ut autem difficultati in quaerenda materia occurratur, adeſt in calce Index alphabeticus. Ceterum Autoris, Temporis, Loci nullum veſtigium.